

Petrus de Vinea

*Ep. III 4 (In inuidiam
omnium nationum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. III 4 (In inuidiam
omnium nationum...)*

1236-1237

Omnibus ciuitatibus et fidelibus suis de regno Syciliae, ut faciant ei subsidium, quando primo cum exercitu suo intrare uoluerit Lombardiam.

1. In inuidiam omnium nationum, quae quibuslibet orbis regibus et terrae principibus sunt subiectae, non solum debitae fidei, sed innatae cuiusdam affectionis zelum fideles regni Syciliae semper ad dominos habuerunt. 2. Sed, postquam ad regni nomen terrae tam nobilis ambitus, quam inter se per uicarias occupantium iniurias Romanorum et Grecorum Imperia placidis finibus diuidebant, uirtuosa maiorum nostrorum et prima consolidatione peruenit, in tantum regiae dignitatis nomen et solium dilexere regnicolae, ut, eisdem antecessoribus nostris ab eis in reges et dominos adoptatis, et fideliter acquisita defenderent et uirtuose subicere populos barbaros conarentur. 3. Et, licet ex memoratae uirtutis initiis progenitorum fecundata nostrorum satis extiterit generosa plantatio, hanc tamen, sub creationis nouae propagine, quae nascentibus in Regno coaluit, nec inferiorem industria credimus nec strenuitate minorem. 4. Sane cum etatem nostram diuina potentia tanta felicitate ditauerit, ut ad regem uestrum, uestrae dilectionis lacte nutritum et uestris uberibus ablactatum, Romani culmen Imperii celesti consilio peruenisset, uos strenue bellantes cum ipso ad subiugandum sibi perfidae rebellionis audaciam uires et animos assumpsistis. 5. Cumque, collisis multorum potentium uiribus, qui non nobis, immo diuino iudicio nostram iustitiam dirigenti, temerarie resistebant ad obtinendam Romani Imperii monarchiam, Ytaliae quaedam factiosa collectio, quae uelut in grano lolium et putredo remanserat in sentina, ad cuius expurgatio

nem animosa Germania, plene nostris exposita nutibus, se satis uiriliter et potenter accingit, expertes uos tantae uictoriae fore non sinimus, nec iudicamus indignos. 6. Maxime cum credamus, quod inter totius Imperii nostri presidia hereditarii Regni nostri nobis affectus lucidius debeat apparere nec successionem nostram generositatis auitae sic uolumus habere degenerem, ut ad conterendam perfidiam Lombardorum nos parentum nostrorum uestigia subsequi non uelimus, ut Affricam aut alias exteris nationes predecessorum nostrorum more, ditioni nostrae subicere, qui nedum fortunae terrenaе discrimina, sed et marinae nauigationis ambigua temptauerunt. 7. In illo uerumtamen priorum nostrorum uias et semitas subsequi deuitamus, qui in numerosa multitudine sepiissime Regnum hominibus uacuabant, rerum non contenti, subsidiis sed fidelium corpora remotis plerumque fortunae dispendiis exponendo. 8. Verum, cum ipsorum intentio apud nos excusatione non careat, nobis hoc non est necessarium, sicut necessarium erat eis. 9. Multas enim nobis personas Germania germinat, per quas uobis parcere possumus, ex quibus debemus uti securius in talibus non ignotis. 10. Tacere uerumtamen hoc sine conscientiae pondere non possemus, quod inter alios, quos nobis undique diuinae potentiae dextera subiugauit, personas uestras nobiscum libentius haberemus, utpote qui de uestrae circumspectionis industria et fide probata fiduciam gerimus pleniorē. 11. Deesse tamen propter uos nobis in hac parte libenter eligimus, indubitabiliter extimantes ut, quod qui gratiose uobiscum uestris parcendo corporibus agimus in liberali susceptione rerum uestrarum, gratiae nostrae premium hylariter repensetis. 12. Denique cum, hac uice congregatis

undique uiribus, cum tanto exercitu Ytaliam ingredi disponamus, ut humiliata simul et semel proteruia nostrorum rebellium, quietem nobis et uobis ac posteris etiam preparemus; cumque tam magnum negotium sine magnis expensis nequeat expediri, uniuersitatem uestram tenore presentium exhortamur, firmiter iniungentes, quatenus ad mansuetudinis nostrae gratiam, quam in subministratione rerum pro personarum dispendiis permittamus, necnon ad magnitudinem tantae rei, in qua fere totius amoris nostri cumulus aggregatur, habendo respectum ad requisitionem et ordinationem dilectorum fidelium nostrorum... et... in subuentione pecuniae sicque honorifice atque magnifice prouidere curetis, ut uestrorum predecessorum uestigiis inherentes, qui nos et predecessores nostros tenerrime dilexerunt, laudabilis operis experimento probemini. 13. Nosque perspicaciter uideamus uos bonorum nostrorum sollicitos et attentos; et, ut nobis presentibus affectionis uestrae zelo ualeamus ascribere, quicquid nobis absentibus personae nostrae reuerentiae conferetur.